



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De Christo Barrabæ postposito. Matt. 27.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

fordibusque petendus, & conspurcandus proponitur. Quæ opprobria & scommata vniuersa, quanta animi vultusque serenitate, quanta modestia, & patientia excipit? quot suspirijs incensissimis plura amore nostri, vt ab æterno nos eripiat opprobrio, sustinere appetit, illusoribus suis condoleat, ijs æternam gloriam in vicem exoptat? Et tu necdum capis illud Apostoli: *Si quis inter vos videtur sapiens esse, in hoc saeculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et illud: *Exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes.* Contemptus fui, tolerantia confusionis,

1. Cor. 3.
Heb. 12.

I V.

De Christo Barraba postposito.

Matth. 27. Luc. 23.

I. Sic delusus, sic irrisus instar fatui supremus rex hominum & Angelorum, infinito honore dignissimus, remissus ab Herode ad Pilatum, ne vnum quidem ex omni gente suâ, tot à se beneficijs & priuilegijs ornatâ, reperit innocentia suâ propugnato-rem, vt Pilatus gentilis, quantumuis impius, misericordiâ motus, eius patrocinium suscipere cogatur: qui eum liberare conatur, innocentiam eius fu-
rioso

rioso populo primùm proponendo, deinde, optionem concedendo, vt pro consuetudine festi, vel ipsum, vel Barrabam homicidam & seditiosum hominem dimitti postularent, nil dubitans, quin tam nefario latroni Christus esset ab ijs præferendus. En vt agnus innocentissimus in medio luporū ab omnibus desertus, non de sua iniuria & perditione, sed de illorum, omniumque nostrum malitia, æternaque damnatione sollicitus, non ijs indignatur, sed intimè compatitur: patronum eorum apud Patrem fidelissimū agit, veniam deprecando; & satisfactionem pro ipsis superabundantem repræsentat, se ad mortem crucis vltro offerendo! Compassio, amor inimicorum, liberalitas erga ingratos.

II. Proponente Pilato Iudæis, quem vellent sibi è duobus dimitti, Iesum, an Barrabam? conceitati à Principibus, & Senioribus populi omnes vnanimi ore acclamauerūt. *Tolle hunc & dimitte nobis Barrabā.* O stulta & peruersa cæcorum Iudæorum iudicia, quàm verè compleuerunt illud Ieremię: *Et eligent Ier. 8. magis mortē quā vitam omnes, qui residui fuerunt, de cognatione hac pessima.* quàm cæcè, quam insipienter, quàm impru-

pru-

prudenter imitantur hos tot peccatores, qui, quoties lethaliter peccant, temporale apparens bonum, aeterno & vero bono; mortem aeternamque miseriam, vitæ aeternæque gloriæ: creaturam creatori; diabolum Christo præferre non erubescunt? Quanta illa fuit Christi innocentissimi, primogeniti Electorum, filij altissimi iniuria! quanta sanctitatis, gloriæ, existimationis eiusdem depressio, verisimè dicere posset: *Vermis sum, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis?* Quam heroicis interim actus frequentant intimæ humilitatis, intuendo nihilum naturæ suæ humanæ per se præcisè spectatæ, nisi per assumptionem sic euecta, & tot privilegijs & gratijs ornata fuisset, se infra omnes deprimendo, deprimique gaudendo? Quam incensos affectus commiserationis erga illos sic infatuatos, omnesque peccatores, eorum interitum præuidendo & auertere optando? quot heroica desideria elicuerit grauiores confusiones contumeliasque perferendi, idque, vt nostram superbiam sua humilitate dilueret; exemplum imitandi præberet. Suspice hanc tantam eius dignationem, gratias age, imitari statue.

III. Pilatus obstupescens replicat: *Quid ergo faciam Iesu, qui dicitur Christus?* Dicunt omnes: *Crucifige, crucifige eum.* Quomodo vox illa, instar gladij ancipitis transfixerit cor amore salutis eorum flagrantissimum benedicti Salvatoris, intuentis tam horrendum ijs, ob tantam ingratitude & crudelitatem imminens tam temporale, quam æternum exitium? quam promptè denudè se æterno Patri ad contumeliosissimam mortem obtulerit. etiam pro ijs ipsis, qui tunc clamabant, crucifige eum? Compassio, amor crucis, iniuriarum, contumeliarum amore crucifixi, zelus animarum.

De flagellatione Christi. Matth. 27.

V.

Ioan. 19.

I. Pilatus protestatus Iesum innocentem, nihilominus, ut satisfaceret furori Iudæorum, postulantium, ut crucifigeretur, addixit illum diræ, & probrosæ flagellationi, inquit: *Nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo illum. & dimittam.* Quam iniustam, ignominiosam, & crudelem sententiam, non tam ex ore iniqui Iudi-

Luc. 23.